I. N. J.

Conspectus Primus MAGISTRORUM ORDINIS TEUTONICI GENERALIUM,

PRÆSIDE

M. Martino Böhm P. P.

sistitur

à

Jacobo Perschkio Mariæb.

impugnandus

An. M. DCC. XII. d. XI. Maii

à


Jahann Adam Sobieray Mariæb.

&

Samuele Sobieray Mariæb.

In Gymn. Thorun.

Viro Reverendo Dno Gr. Razkj. mitt Praese



THORUNII,

Impressit Joh. Nicolai, *Nobil. Senat. & Gymn.* Typographus




VIRO

Summe Reverendo, Amplissimo, atque Præclarissimo Domino,

DOMINO

EPHRAIM PRÆTORIO,

Ecclesiarum Thoruniens. Seniori vigilantissimo & ad Ædem D. *Mariæ* Pastori facundissimo atque dexterrimo.



Ornatissimo atque Florentissimo

DOMINO

DANIELI HOLSTIO,

Mercatori in civitate Thorun. circumspecto.

Evergetis atque Fautoribus

summis:

Primitias hasce

In grati animi tesseram

offert

Respondens.





I. N. J.

CONSPECTUS I.

Magistrorum Prussiæ Generalium

§. I.

Laudabilis erat conatus, neqve contemnendum rei litterariæ Historicæq; augendæ desiderium in MICHAELE KUCHMEISTER de STERNBERG, antea Commendatore Bratianensi ad Drwentiam [MARTINUS MURINIUS *in Descript. Terræ & Magg. Pruss.* eum vocat Advocatum novæ Marchiæ] *Magistro Equitum Mariani ordinis Teutonici in Jerusalem Generali*, qvi præter alia instituta a MATTHÆO WAISSELIO Chron. Alter Preuscher Lifflendischer und Curlendischer Historien p. 140. b. 141. a. enumerata, hanc legem qvoqve *Festo Circumcis. Domini Anno* 1416. *in capitulo Braunsbergensi* fixerat, ut omnia antiqva Prussiæ Chronica ordini Teutonico venderentur. Idem testatur *Casp. Henneb. in Expl. Majoris Mappæ Pruss.* f. 303. Hoc enim thesauro collecto existimabat, vivam memoriam rerum ab Equitibus S. Mariæ Teutonicis in Borussia gestarum, & Magistrorum General. atqve Provincialium acta dictaque apud posteros facile conservatum iri; Verum res præter opinionem cecidit, cum in hunc usque diem

 manca

manca mutilaque sit Prussiæ Historia, ob monumenta vel antiqvitate corrosa, situqve sqvalentia, vel cum tineis & blattis luctantia, vel prorsus deperdita. Qvam jacturam acerbe mecum conqveruntur qva veteres, qua recentiores Historici.

§. II. Utut vero res ita sese habeat, non defuere tamen plurimi, qui Historiam Prussiæ vel ex MSS. vel ære impressis libris, vel ex antiquis picturis & monetis eruere & concinnare summis viribus enitebantur, quorum nomina præfixa lege *Historiæ Rer. Pruss. M.Casp. Schützij, Expl. Maj. Mappæ s. Tabulæ Pruss. Casp. Henneb.* item *Selectis Diss. Historicis de variis Reb. Pruss.* nunquam satis laudandi *B.* CHRIST. HARTKNOCHII, ejusdemque Alt-und Neu-Preussen. Ubi tamen in prænomine Waisselii pro THOMAS, legi velim MATTHÆUS, & in *M*artino Murinio notari, quod ex *MS.* Germanico transtulerit quidem in idioma Polonicum Chronicon Prussiæ, sed non toti Magistratui Thorunensi, quem errorem etiam errat Simon Kempinius, Typographus Cracoviensis in dedicatione sua An. 1605. verum B. Mochingero *M.* D. Physico & Burggrabio *R*egio cæterisque Pro-Consulibus An. 1582 nuncupaverit. De *Thomæ Treteri Custodis Canonici Varmiensis Opere posthumo* de Episcopatu & Episcopis Ecclesiæ Varmiensis, quod *Matthias à Lubomierz Treterus S*, R, M, S. cum insigni-

bus

bus cujusque Episcopi, exceptis Prioribus quatuor, Cracoviæ An. 1685 publicæ luci dedit, observandum est, illud â B. Hartknochio non esse visum. Telam seremqve Epp. Warmiensium Th. Treterus pertexuit usqve ad Stanislaum Hosium. E. R. cardinalem, & Episcopum Warmiensen, intimum amicum & familiarem suum, qvi Capranicæ An. 1576. d. 5. Augusti. LXXVI ætatis Anno ex hac mortalitate migravit, ejusqve corpus trans Tiberim in Ecclesia S. Mariæ marmoreo tumulo conditum est. Seriem illam continuavit MATTHIAS a LUBOMIERZ TRETERUS usq; ad MICHAELEM Steph. Radziejowski Episcop. Warm. & postea Archiepiscopū Gnesnensem &c. Gedani denatū. Huic operi adjunctum est Chronicon de Vitis Epp. Warmiensium JOANNIS PLASTWIG *Decret. D. Eccl. Warm. Decani*, quod jussu Pauli de Legendorff Ep. Warm. in cujus vita Plastwig finit, An. M. CD. LX. IV. conscriptum est. Reliqvos Episcopos á Nicolao de Tungen ad Andream Bathoreum E. R. Diaconum cardinalem, Stephani Regis Pol. gr. mem. ex fratre Nepotem, adjecit *Joannes Cretzmerus Decanus & Canonicus Warmiensis*, & in calce visitur Nicolaus Hogenberg Ep. nom. cum vita Adalberti a veteribus Prussis An. 997 prope Fischausium in Sambia occisi. ὡς ἐν παρόδῳ miramur, B. Hartknoch. inter Episcopos Warmienses, qvorum Catalogus de Variis Reb. Pruss-

ſi

ficis Diss. XIX. prostat, Joannem Carolum Konopacki non numerare, qui ex Matthiæ *Treteri* continuatione f.148. seqq, & B. Hartkn. H. P.E. supplendus est. *In* Catalogo illo Hartknochiano p. 221. pro VLADISLAUS lege *W*enceslaus Comes de Leszno Leszczynski: neque Joannes Albertus filius Sigismundi III. R.P. fuit *E*piscopus, sed Administrator Episcopatus prædicti. Utinam typis mandatas aliquando videremus Vitas Episcoporum Culmensium, quorum nomina vix supersunt.

§. III. Sed e diverticulo in viam. Major difficultas in annis Electionis, & regiminis, nominibus, loco mortis & sepulturæ atque numero Magistrorum Generalium Hospitalis B. Mariæ Virginis domus Teutonicorum in Jerusalem occurrit. vid. Johannes NAUCLERUS Vol. II. *C*hronogr. Gener. 37. Quam ut tollamus aliquantum, nunc Magistrorum Generalium conspectum cum prædictis circumstantiis sistimus, plenius fusiusque vitas singulorum in posterum exposituri.

§. IV. I. fuit HENRICUS WALPOT von Passenheim in castris ad Acconam [Ackers] seu Ptolemaida Anno *1190* præsentibus multis Ecclesiasticis & Politicis Personis d. *IX*. Novembr. electus, teste *Auctore Chronici Ordinis. Petro de Dusburg* vocatur *W*alpote Part. I. cap. 2. *Chron. Pruss. Antiquo* MS. *Chronico* pag. 2. Valpode *Episcopo Paderbornensi in Chron.* MS. f. m. 13. *W*alpett. *Naucl. l. c.* Valpora, Murinio

rinio Ghron. *Pruss.* p. 41. Wapolt, Nobilissimo Gotofr. Zamelio Consuli qvondam Elbingensi in *MS.* de Walpoth. Præfuit ordini x. ann. & obiit IX. Kalend. Novembr. secundum *Düsburg*, qui non annum, sed diem obitus primorum *Magistrorum* ex Anniversariis sacris annotavit, quandoqvidem qvotannis ordo *Marianus* memoriam Magistrorum optime meritorum, die emortuali sacram habuit. *Autor Chronici Ordinis*, ex quo *Waisselius* ferme omnia desumpsit, accuratius tantum addere conatus annos electorum Magistrorum, *Paderbornense Chronicon & Waisselius* mortem ejus ponunt in Annum *1200*. Schützius diem exprimit 24 Octobr. B. Hartknoch. in Serie Magistrorum Ordinis Teutonici Generalium Düsburgio suo præfixa d. 5. *Novembr.* & im Alt-und Neu-Preussen Lib II. c. *1*. §. 9. d. 24. Octobr. *Walpotum* obiisse scribit. Sepultus est Acconæ in templo a se extructo extra mœnia urbis ad portam S. Nicolai die *5*. post festum OO. SS.

§. V. II. Otto octogenarius in Magistrum Generalem An. 1200 electus, Baronis vel nobilis civis Bremensis filius. Plerisque dicitur von Karpen & Carpen. Antiqvo MS. German. von Kyrpin/ *Paderbornensi* von Karpenn. Nob. Zamelio de CARPEN. Præfuit ordini *Ann.* VI. Supremum clausit diem Acconæ IV. Nonas Junii, omisso anno, juxta Dusburg. juxta *Autorem Chronici Ordinis An.* 1206. d. 4. Julii: juxta

Schutzi-

SCHUTZIUM An. 1206. d. 2. Junii. Sepultus eſt in Ecclesia Acconenſi ex NICOL. JEROSCHINI, *Simonis* Grunovii Epitomatoris ſententia, die *Marcelli* & Petri.

§. VI. III. HERMANNUS *BART.* Nob. Holſatus *Schutzio Lib. I. Hiſt. Rer. Pruſſ.* fol: 16. b. Sed *Autori Ordinis Chronici*, Ducis Bartenſis ex fratre filius; Aliis filius ipſius Ducis. Hunc antiqvum *MS.* Chronicon Germanicum, qvod poſſideo, prorſus omiſit. Paderbornenſi nominatur Bartt. Murinio Bardt. N. Zamelio de B*A*RT. Ex ſupputatione *Chronici Ordinis, Auctoris Chron. Latini MS. Schutzii* & aliorum præfuit ordini *A*n. VI. Vitam cum morte commutavit XIII. Kal. *A*prilis, ut teſtatur D*usburg*., *Schutzius* An. 1211. d. 20. Martii mortuum eſſe ſcribit, & qvidem Vigilia S. Benedicti, ut addit *Nicol. Jeroſch.* B. Hartknoch. l. ſæpe c. C*aſp. Schutzium* [cum qvo C. *Henneb.* easdem inflat tibias] ex Chronico quodam colligentem, Hermannum hunc in oppugnatione urbis Tripolitanæ vulneratum, Hieroſolymam delatum, ibidemqve ſepultum eſſe, refellit ex eo, qvod t. t. Saraceni Hieroſolymis jam potiti ſint, neqve Chriſtiani in urbem illam qvidqvam jurisdictionis habuerint. *A*ddo, qvod *Petrus Dusburg*, Ordinis Teutonici *S*acerdos, & Hiſtoricus antiqviſſimus *Chron. Pruſſ.* P. *I. c. IV.* p. 24. *A*cconæ ſepultum eſſe perhibeat, cum qvo faciunt P*aderbor-*

nenſis

nensis & *Waisselius* p. 44. a. qvi non modo ibidem sepultum, sed & mortuum esse momoriæ produnt.

§. IV. *Hermanus a Saltza. N*obilis Thuringicus vel Misnicus. Prior tamen sententia facile præferri potest posteriori, qvam etiam *Waisselius* p. 44. b. amplectitur, qvandoqvidem Saltza est Civitas Thuringiæ. Secundum *Sim. Grunovium Tract. V.* & *Mu*rinium electus esse dicitur An. *1210.* *S*ecundum *S*chutzium *An. 1212.* Sub hoc Ordo Teutonicus primum in Prussiam venit, Magistro Provinciali duce, Hermanno Balk, qvem *Balth. Russow.* Falck / *Chronicon Vetus* Walck / *Zamel.* Balkonem nominat. Præfuit Ordini *A*n. XXX. ut omnes fere Historici Prussici consentiunt. Mortalitati valedixit, teste *Dusburgio* IX. *K*al. *A*ugusti. Sed ex Incidentibus ejusdem ad *P.* III. cap. *XXX*III. & XXXIV. apparet, Annum obitus Salziani in *A*nnum *1246.* incidisse. Verum vel Scribæ, vel Typographi error est, adeoqve pro ultimo numero *6.* substituenda est o. qvem computum Paderborn. Schutzius, *H*enneb. & alii catervatim seqvuntur. Locus mortis & sepulturæ ejus est Barletum in *A*pulia, non autem Berolinum, ut inepte interpretatus est *Murinius Chron. Terræ & Magg. Prussiæ p. 43.* Error *S. Grunovii* haud difficulter refutatur asserentis, Hermanum a Saltza an. 1221. obiisse, Cum an. *1226.* inter Conradum Masoviæ Ducem,

Ducem, & Hermannum illum pacta ratione Prussiæ sint inita: Idem etiam Hermannus privilegium Culmense An. 1233 Prussis dederit, ideoque his ipsis annis adhuc eum vixisse manifestum est.

§. VIII. Inserendus hic erat cum B. Hartknochio e serie Magistrorum Ordinis Teutonici Generalium, *Henricus de Hohenlohe*; sed eum in alium locum cum accuratissimo Rerum Prussicarum Indagatore Gotofr. Zamelio reposuimus. Jam ordine antiquo sequitur.

§. IX. V. *Conradus, Landgravius Thuringiæ & Misniæ*, Marpurgi an. 1240 electus. Primum quidem sedes Magistrorum fuit Hierosolymis & *Acconæ*, dein Venetiis, post *Marpurgi*. vid. *Chronicon Ordinis* & Waissel. Chron. p. 100. b. & 104. b. denique *Mariæburgi* & in aliis Prussiæ locis. Conradi hujus cum V. successoribus *Antiqu. MS. Chronicon. German.* nullam prorsus mentionem facit. *S. Grunovius Tract. V.* auctor est, post Hermannum de Saltza in Capitulo Veneto ab altera parte electum esse Ludowicum a Queden, ab altera Henricum C. de Hohenloe; cum vero Treviris Henrico abrogatus est Magistratus, substitutum esse Popponem de Osterna, in extrema tandem senecta rursus ad Henricum de Hohenloe devo-

devolutum esse imperium, defuncto postea Ludowico de Queden Conradum Landgravium successisse. Quin *B. Hartknoch* in *Animadv.* suis Dusburgianis p. 132. ex Fastis Pruss. in Bibliotheca Regia Regiomonti asservatis, alium adhuc Magistrum *Hermannum de Bare* producit, de quo altum est apud Historicos nostros silentium. Idem neque annos Electionis neque mortis Conrado apponit partim in Serie *Magistrorum* Ordinis Teutonici General. partim im Alt-und Neu-Preussen *Chronicon Ordinis* electionem Conradi refert ad *An.* 1246, qvamvis notet etiam, a qvibusdam referri eam ad An. 1240. Præfuit Ordini secundum *Paderbornensem, Schützium, Hennebergerum, Murinium An.* XII. Ex *Chonologia Dusburgensi* IX. Kal, Augusti fatis cessit & sepultus est Marobburgk. *Henneb.* exprimit d. *20. Augusti*, Schutzius An. *1253.* d. *24.* m. præd. S. Elisabethæ Ludowici Landgravii uxoris defunctæ lateri appositus.

§. X. VI. *Poppo de Osterna* e Magistro Provinciali An. 1253 *Mag.* General. electus, qvandoqvidem illa dignitate sub Hermanno & Conrado functus est. Paderbornensi appellatur Poppe von Osterna, *Murinio* Conradus Poppo de Osterlinga, *Schutzio* & Hartknochio von Osternau. S. Grunovius hunc præposuit Conrado Landgravio, sed perperam cum omnes Historici eum Conrado suffectum fuisse testentur. Præfuit ordini e Chronologia *Paderb.*

Waisselii & *Murinii* *An.* XI. ex sententia Schutzii & B Hartknoch *An.* XII. Gravida jam ætate abdicavit se *Magistratu.* De ejus obitu & loco sepulturæ Polonici & Prussici Scriptores non eadem tradunt. *Matth. a Michov. Chron. Polon. Lib.* III. *c.* XXXVII. *Martinus Cromerus* Episcopus qvondam Warmiensis *Lib.* VIII. *de O. & R. G. Pol. Chronicon Ordinis* & *Murinius*, p. 47 a Tartaris in prælio Lignicensi fuisse cæsum An. 1260 [1265] & *Wratislawiæ* ad S. Jac. sepultum esse referunt. Ut vero hostes numerum occisorum inirent, cuilibet ex iis unam aurem rescidisse, novemque saccos auribus implevisse: alii ad S. Adalbertum apud Dominicanos Cryptæ illatum esse volunt. Schutzius mortuum esse docet in Germania, & quidem in prædio suo, cujus tamen nomen reticet. *Dusburg. Part.* III. *Chron. Pruss.* nude simpliciterqve testatur, Popponem senio & labore gravatum officium suum humiliter resignasse.

CRede mihi Patriæ civis solet ille vocari,
Historiam Patriæ qui didicisse cupit.
Ast qui negligit hanc cunctorum plectitur ore,
Hospes qvod deses sitque *Menalca* rudis.
Perschkius eximio decoratur laudis honore,
Historiæ Patriæ dum sibi serta parat.

Specimen hoc, aliaque Studia Pii, Seduli & ad Majora contendentis Respondentis sui omnibus bonis commendat

PRÆSES.

